

Georg Friedrich Seiler


Ordinis Theologici In Academia Regia Friderico Alexandrina H. T. Decanus D. Georgivs Fridericvs Seiler Svmmos In Theologia Honores In Virvm Maxime Venerabilem Et Celeberrimvm M. Henricvm Carol. Alexandrvm Haenlein ... Rite Conferendos Indicit : Praemissa est discussio quaestionis: Vtrum ex lesu fermonibus in euangelistarum commentariis obuiis, quae vnice vera sint religionis ipsius dogmata, intelligi possit et diiudicari debeat?

Erlangae: Typis A.E. Ivnge, MDCCLXXXV

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862370523>

Druck Freier  Zugang





87

Fa 1092 (87.)

A. M. Synonymum
Rostock im Jun. 1815.

Dissertationen

- 1, De veris bonarum artium literarumque incrementis ex libertate publica, Oratio, Diela a Chr. Gottl. Heyne. Göttingen 1763.
- 2, Dissertatio historico-theologica de locis theologicis, col. lectos ex Leon. magno pontifice romano scriptis. Auctor Joh. Jac. Griesbach. Halae 1768.
- 3, De fide historica ex ipsa rerum, quae narrantar natura, judicanda. Auctor. Joh. Jac. Griesbach. Halae 1768. -
- 4, Orationem Augustanae confessionis memoriae ex instituto Lynxiano ipsa Cal. Octbr. 1791 habendam, indicat Chr. Godofr. Schütz, prof. ord. Senae.
- 5, quod. scilicet altera
- 6, Oratio in anniversariis inaugurationis sacrae academiae Georgicae Augustae, habita a Chr. G. Heyne, prof. eloq. Göttingae 1776.
- 7, Observationes nonnullae ad historiam dogmaticam de spiritu sancto a Joh. Georg Cosenmüllero Erlangae.
- 8, De theologiae christianae origine, Dissertatio Joan. Georg. Cosenmülleri, Lipsiae. -

- 9, Ab Iano, Dissertatio de accommodatione
Christi in primis & apostolicis tribula-
tionibus, Lipsiae, 1793.
- 10, Dr. Ioan. Guil. Rad P. P. O. de
Ioannis Baptistae in rem christianam
studii. Sectio I. Erlangae
- 11, Sectio II.
- 12, Dr. Georg. Friedr. Seiler summus in theologia
honores in virum gen. et mas. reo Gottl.
August de Haenerner rite collatos indecit
Erlangae, 1792.
- 13, De vaticinationum causis atque finibus, Dissert.
Dr. Seiler. Erlangae.
- 14, Sectio II.
- 15, Dr. Ammon, brevis argumenti: pro summi
numinis existentia recognitionis. Pars prior, Erlangae
- 16, Pars II.
- 17, Dr. Seiler summus in theol. hon. in Mag. Haenlein
rite conferendos indecit. Erlangae 1795.
- 18, Michael Weber, prof. ord. de discrimine legitime et
licite, recte et honesto factorum in Aet. N. J.
proposito, vulgo neglecto.
- 19, Michael Weber ad memoriam resurrectionis Christi,
rite celebrandam invitatur, 1793.
- 20, Memoriam natalitatis Jesu Christi que recollenda
vitiis commendat a academia Jenensis, 1794.
- 21, Part. II. 22, Part. III.
- 22, Commentatio de consilio, quo scriptor in aet.
apost. concinnandis ductus fuerit, Jenae 1818.
- 23, De miraculis Christi et notione de adventu
Christi in N. J. obitus in primis. Jesu vati-
cinio Matth. 24 a Tychsen Gottingae 1785

Josephus Juley

17.

ORDINIS THEOLOGICI

IN

ACADEMIA REGIA FRIDERICO ALEXANDRINA

H. T. DECANVS

D. GEORGIVS FRIDERICVS SEILER

SVMOS IN THEOLOGIA HONORES

IN

VIRVM MAXIME VENERABILEM ET CELEBERRIMVM

M. HENRICVM CAROL. ALEXANDRVM
HAENLEIN

ACADEMIAE REG. FRIDERICO ALEXANDRINAE PROFESS. THEOL. P. O
TEMPLI ACAD. PASTOREM ET INST. CONC. ANTIST
LONGE MERITISSIMVM

RITE CONFERENDOS

INDICIT

*Praemissa est discussio quaestionis: Vtrum ex Iesu sermonibus in euan-
gelistarum commentariis obuiis, quae vnice vera sint religionis
ipsius dogmata, intelligi possit et diiudicari debeat?*

ERLANGAE

TYPIS A. E. IVNGE c1o1o CCLXXXXV

2.
29
2
2
17.
11

OPIDINE THEOLOGICAL

ACADEMIA REGIA FRANKO-ALMANICA

E. F. SCHAEVVS

D. GEORGIVS FRIDERICVS BILBER

EVANGELII IN THEOLOGIA HORTVS

IN

THEOLOGIAE FRANKO-ALMANICAE

M. HENRICVS CAROLVS ALZADIVS

HALLAVII

MDCCCXXXIII

THEO. CENTRIBVS

ANNO

Printed by the University of Halle, at the University Press, in the year 1833.

HALLAVII

THEO. CENTRIBVS

Theologorum aevi nostri clarissimorum laudabiles conatus in restituenda doctrinae christianae prima simplicitate animo attento consideranti ignotum esse non potest, fuisse complures, qui censerent, tutissimam ad hunc finem consequendum viam esse hanc, ut ipsis Iesu Christi, fidei nostrae fundatoris, sermonibus et verbis vnicè et constanter inhaeremus. Quae sententia, si rite intelligatur, nec ad excludendos ceteros fidei christ. fontes finistre adhibeatur, ferenda non modo, sed laudanda et commendanda esse videtur. Sed existitisse non paucos, qui eadem in detrimentum veritatis abuterentur, ex multis auctorum recentiorum libris satis superque intelligitur. Auide scilicet arripuit hanc regulam eruditorum classis illa, quae statuit, partes quasdam doctrinarum, quibus persona et munus Iesu Christi in locis dogmaticis describi solet, sive excludendas et penitus reiiciendas, siue, tanquam minus necessarias, posthabendas et in sermonibus pro concione instituendis, silentio praetereundas esse. Apostolos enim post Christi in coelos ascensionem nimia ipsius veneratione ductos, de illius diuinitate magnificentius, quam par esset, iudicasse et quicquid fere iudaeorum doctores de Messiae gloria fabulati sint, ipsi, selectu non habito, et in summo quidem, qui animo cogitari possit, gradu tribuisse; in typis praeterea exculpendis, in laudando sacrificio a Christo deo oblato, nimis diligentes, in repellendis iis, qui corporum resurrectionem negarent, nimis strenuos et acerbos fuisse. Haec igitur omnia, tanquam ad rem principalem non pertinentia, ex systemate religionis purae et vere christianae remouenda esse, retentis iis tantum, quae pertineant ad doctrinae, *ab ipso Iesu* tam sermonibus publicis, quam colloquiis priuatis traditae, summam, ab euangeliorum auctoribus litteris mandatam.

Hanc non esse meram animi suspiciosi opinionem, sed veram non paucorum aevi nostri doctorum sententiam, vel ex eo patet, quod, qui eiusmodi placita in vulgus spargunt, magno plausu suscipiuntur ab ephemeridum auctoribus, eadem non modo sentientibus, sed et novis suffulcientibus argumentis, quorum loca nonnulla tantum infra recensuimus, multis, his similibus relictis *). Quae quum ita sint, operae pretium esse videtur, disquirere, *utrum ex Iesu sermonibus, in euangelistarum commentariis obuiis, quae vnice vera sint religionis ipsius dogmata, intelligi possit et diiudicari debeat?*

Qua in quaestione dirimenda fundamenti loco supponimus, Iesum fuisse omnium *praestantissimum* humani generis doctorem, in

*) Vortreflich sind die Bemerkungen, in welchen gezeigt worden, daß die Vorstellungen der Apostel von Christo, als dem Welterschöpfer und Weltrichter, nicht in *Ausprüchen Iesu* gegründet, sondern ganz jüdischen Ursprungs, und mithin nicht mehr in unsere Dogmatik als eigentliche Glaubenssätze, sondern als lokale und temporelle Ideen, so nützlich und wichtig sie auch zu den ersten Zeiten waren, zu behandeln sind. — Eben dies gilt auch von den Begriffen der Apostel, von der Regierung des Messias mit Gott. Wir müssen den Aposteln unsere Ideen nicht leihen, wenn gleich ihre Ideen, so weit sie nicht in Iesu *eigener* Lehre ihren Grund haben, *nicht Regel für uns sind* — Der Hr. V. bemerkt, daß dies die gewöhnliche jüdische Vorstellungsart vom Messias war, und daß diese Vorstellungsart, die in den *eigenen* Beschreibungen, welche Iesus uns von seiner Person macht, *nie vorkommt, nicht zur Lehre von der Person Iesu gerechnet werden könne*; indem wir die Lehre von der Person Iesu Christi nach seinem *eigenen* Unterricht, und nicht nach den *Zusätzen bestimmen müssen*, welche wir in den, nach den erhabensten jüdischen Vorstellungen vom Messias eingerichteten *Beschreibungen der Apostel* antreffen. Die Lehrart der Apostel kann in solchen Stücken, worinn sie nicht mit Iesu Lehre, sondern mit jüdischen Ideen übereinstimmt, *nicht Regel des christlichen Glaubens seyn*. — Ex eiusmodi sententiis, in multorum auctorum libris passim occurrentibus, intelligitur, esse non paucos, qui statuunt, doctrinam de persona, de mortis Iesu Christi fine et effectu, de illius imperio et reliquis praerogatiuis ex ipsius sermonibus vnice esse hauriendam, non ex apostolorum additamentis.

in cuius viribus positum fuisset, optimam tradere fidei regulam, vniuerso generi humano vnice commendandam. At enim vero hoc in argumento non quaeritur, quid Seruator diu. pro summa, qua pollebat vi et in rebus diuinis intelligentia, facere et loqui potuisset, sed quid pro hominum, quos doctrina sua instituit, ingenio, animorum infirmitate, cogitandi consuetudine et opinionum praeconceptarum multitudine, pro sapientia sua et consilio suo omnium optimo, tradere voluerit, debuerit?

Cuiusnam, quaeso, erant indolis *homines* isti, ad quos verba faciebat? Alios deprehendimus ex infima plebe collectos, vera rerum diu. intelligentia penitus fere carentes; alios ex opulentiorum numero, vitae huius negotiis distractos, opibus, diuitiis, voluptatibus vnice inhiantes*); alios denique eruditione iudaica quidem instructos, sed falsarum opinionum monstrosos deceptos, ad veritatem agnoscendam ineptos**). Qua igitur ratione fieri potuisset, vt eiusmodi auditoribus sublimes traderet coelestis doctrinae veritates *omnes*, quarum vi et notitia vniuersi generis humani felicitas erat restituenda, plane non intelligimus. Hanc Iudaeorum conditionem causam fuisse principalem, per quam foter diu. prohiberetur, quo minus vniuersum doctrinae suae argumentum, omnibus partibus elaboratum, completum et absolutum coeuis suis traderet, ipse nos edocuit in colloquio cum Synagogae alicuius antistite habito. Cum mihi non creditis, terrestria vobis explicanti, quomodo coelestia tradituro credituri essetis! Ioh. III, 12. Quotidie fere pergebat Iesus imaginibus, a rebus terrestribus ductis, veritatis invisibilis speciem aliquam Iudaeis contemplandam proponere, quae regni Messiani vera futura esset natura, parabolis, e vita communi haustis, ostendere: sed plurimi externam quidem videbant imaginum formam, ad internam autem, in ipsa latentem, veritatem obtusis animi oculis non penetrabant. Nec

A 3

vllum

*) Luc. XIV, 18 — 20.

***) Ioh. VII, 48. Cap. IX, 38 — 41.

ullum illo tempore veritatis ipsis tradendae exquisitius remedium adhiberi poterat, quoniam (quae verba ipsius foteris sunt) videntes non videbant, audientes non audiebant, nec intelligebant, quae in sermonibus, publice habitis, illos edocebat*). Sed ne ii quidem viri, quos Iesus generis humani doctores futuros elegerat, priuatis confabulationibus cum iisdem saepe institutis, post triennium multo sapientiores erant redditi. Hanc ob causam ipse Iesus ineptos illos declarauit ad vniuersae nouae doctrinae capita omnia animis suis percipienda, illisque sub vitae finem, *multa habeo*, dixit, quae vobis essent tradenda, *sed quae ferre nunc non potestis*. Quamuis per Christi mortem spes, quam discipuli ipsius de regno terrestri animis conceperant, omnis cecidisset; vix tamen erant apti ad capiendam doctrinam de fine et fructu mortis Iesu contumeliosae, Luc. XXIV, 25. Animi stupor in illis hominibus tantus fuit, vt quam diu Christus praesens cum illis versaretur, plane tolli nequiret, adeo, vt in ipso articulo temporis, quo coeli ascensum pararet, illum adhuc interrogarent, num Dauidis, proauis sui, sedem regiam occupaturus esset? Act. I, 6.

Haec igitur Iudaeorum imbecillitas prima erat ratio, ob quam Iesus multas doctrinae suae partes vel intactas omnino relinquendi, vel in sermonibus suis obscure tantum indicandi consilium cepit. Altera ratio erat in ipsa *veritatum* quarundam *indole*, *grauitate* et *subtilitate* posita. Quamdiu Christus forma feruili indutus inter homines conspiciebatur, neque Iudaei, neque apostoli maiestatis ipsius diuinae ideam animo sibi formare poterant iustam et veritati consentaneam. Nunquam enim antea audiverant, Messiam esse eum, per quem a deo patre rerum creaturarum uniuersitas sit condita; nunquam crediderant, regem Israelis, qualem exspectabant, ex his terris abreptum, coelo inclusum, vi tantum inuisibili regnum suum his in terris gubernaturum; multo minus intelligebant, illum mundi uniuersi imperium capeffiturum esse.

Ex

*) Matth. XIII, 15. Ioh. XII, 40.

Ex suo pte quidem ingenio fingunt quidam nostri aevi auctores, haec figmenta fuisse Iudaeorum, Messiae imperium male describentium. Sed nec probant, quod statuunt, nec agnoscunt, quod verum est, Iudaeis, Christi aetate viuentibus, ne in mentem quidem venire potuisse, de imperio Messiae in omnes res creatas loqui, quippe qui de filio Dauidis aliam plane sibi mente formauerant ideam, fore videlicet, vt propheta summus *) idem et princeps populi sui felicitatem restauret. Non igitur in coelum, sedem Messiae veram, sed in montem Zion omnium Israelitarum oculi erant directi; hunc locum, sperabant, fore regis israelitici palatium, ex hoc sanctuario gentibus sibi ferro subiiciendis omnibus leges scripturum et asseclas suos fideles principes noui regni constituturum. Nec homines isti erant apti ad intelligendam *spiritus sancti* naturam. Adfueti enim cogitandi rationi iudaicae censebant spiritum sanctum esse vim Dei, omnipotentiae et sapientiae ipsius similem, non autem vim aliquam intelligentem, libere cogitantem, libere agentem, cum patre et filio peculiari ratione coniunctam. Operante demum ipso spiritu s. apostolorum animis alia de ipso cogitandi forma impressa est. Cum enim veritatum euangelicarum nouis reuelationibus patefactarum intelligentiam ipsi acceptam referrent, non poterant non cogitare hunc spiritum tanquam sapientiae doctorem et largitorem, dona sua, prout voluntati ipsius et sapientiae accommodatissimum videretur, dispensantem 1. Cor. XII, 5—11. Mosis leges de sacrificiis, de circumcissione, de agno pasch. mactando et comedendo vna cum vniuerso cultu leuitico tollendas esse et abiiciendas, ne apostoli quidem, spiritus s. lumine iam collustrati, poterant credere. Magna enim orta esse, constat, de hoc argumento inter illos certamina, Act. XV. Quare et Petrus diu nefas esse putauit, homines ex gentibus natos, nisi circumcissionis legi se subiicerent, in coetus Christianos recipere; communis enim tum erat christianorum, ex gente israelitica natorum persuasio, Abrahami posteros, ortos ex Iacobi familia, cum ob patrum merita, tum ob cultum, quo deum

*) 1. Maccab. XIV, 41. Ioh. I, 23. VI, 14. VII, 40.

deum venerabantur, externum, vi promissionum diuinarum, regno Messiae stabilito, omnibus ceteris hominibus praeferendos, multis magnisque gratiae et amoris diu. documentis exornandos esse. His, aliisque huius generis praeiudiciis falsisque opinionibus quanta et quam varia argumentorum copia se opposuerit Paullus *) in epistolis scribendis, quam saepe repetierit doctrinam euangelii capitalem, vnum esse omnium gentium deum, vnum seruatorem, paria omnium esse ex quavis natione iura, omnes peccatorum veniam consecuturos, qui habuerint fiduciam in Iesu vnus mediatoris deum inter et homines morte positam, inter omnes constat.

Hoc, quod vltimo loco posuimus dogma, Iesu aetate, nulli Iudaeorum in mentem venire poterat, quippe qui sperabant, Messiae dicbus *sacrificia splendidissima* a Iudaeis non modo, sed ab omnibus gentibus, earundemque regibus imperantibusque, Christo se submissuris, in templo Hierosolymitano, auro, gemmis pretiosissimisque lapidibus exornato, oblatum iri **). Notio autem sacrificii vnus, pro omnibus se tradentis, longe subtilior erat et altior, quam quae a Iudaeorum animis, spe et amore rerum visibilium ad terram depresso, attingi potuisset.

Eius-

*) Rom. III, 10 — 28. Cap. IX — XI. Gal. II, 14 — 17. Eph. I, 9. etc. Cap. II, 11 — 18.

**) Sinistre videlicet interpretantes prophetarum loca, quibus dictum est, vltimis (Messiae) temporibus urbem Hierosolymam splendore diuitisque ceteras omnium gentium vrbes longe superaturam Ies. LX, 1. etc. Cap. LXV. Templum etiam statuebant augustissimum fore dei palatium ab ipso Messia aedificandum atque multis modis glorificandum. Sensu proprio sperabant futurum, quod a Iesaja Cap. LX. et Zacharia Cap. XIV, 17. etc. scriptum inueniebant. Vide Ialkut Schimoni Com. in Iesaiam fol. 56. Col. 4. Eifenmenger entdecktes Iudenthum P. II. Cap. XIII. pag. 720. pag. 759. etc. it. 851. etc.

Cum eiusmodi igitur hominibus, tot et tam variis in rebus f. erroribus impeditis, religionis nouae, et quidem spiritualis doctrinas omnes, a Iesu, inter illos versante, non potuisse communicari, ex his, breuiter expositis, satis superque intelligitur; ex quo iusta consecutionis lege colligitur, Iesum pro sapientia sua multas intactas relinquere debuisse doctrinae suae partes, legatis suis iusto tempore reuelatione patefaciendas. Hoc vere ita factum esse, constat primum ex ipsis Iesu promissionibus, apostolis datis, et a Iohanne potissimum Eu. Cap. XIV — XVI. litteris mandatis. Plus enim vice simplici Iesus illis pollicebatur, esse se missurum a patre *veritatis* spiritum, *veritatis* doctorem, sibi similem, qui non aliam traditurus sit doctrinam, quam ipse cum illis communicaturus esset, si diutius his in terris visibili forma versaretur. Illum enim spiritum non *sua* locuturum, sed de iis, quae ipsius, Iesu Christi, sint. De meis sumet, quod vobis patefaciet, Ioh. XVI, 13. h. e. perget in institutione a me incepta, vobis vltierus impertienda et omnibus partibus absoluenda. In hac Christi promissione apostoli fide nitebantur firma, multoties asseuerantes, se in veritatibus euangelicis promulgandis a spiritu f. dirigi et adiuuari: „*Non eloquimur humanae sapientiae inuenta, sed quae spiritus f. nobis suppeditat dogmata; cognoscimus enim et probe ab humanis figmentis discernimus ea, quae nobis a deo data sunt,*“ 1. Cor. II, 13. etc. Quae enim antea oculus nullus vidit, auris nulla percepit, deus nobis *reuelauit spiritu suo*, 1. Cor. II, 9. 10. Firma animi persuasione tenebant apostoli, fieri plane non posse, vt hic spiritus rebus f. tradendis erret eosdemque a veritatis tramite abducat; nosse enim eum omnia, quae in deo sint, eo vsque, vt et abstrusissima illius arcana cognita habeat, 1. Cor. II, 12. — Huic autem spiritui diu. se acceptam ferre quamuis nouam veritatum euangel. intelligentiam, profitebantur Eph. III, 5. Coloss. I, 26. — Cum scirent, se spiritum f. mediatore Christo a patre accepisse, aliis librorum sacrorum locis *Iesum ipsum doctrinae, quam diuulgabant, auctorem* appellant. Paullus inprimis hanc loquendi formulam saepius vsurpare solet, atque contendere, se non ab hominum villo euangelii argumentum didicisse, neque more humano ex-

B

cogi-

cogitasse, sed accepisse *reuelatione Iesu Christi*, Gal. I, 12. nihil se valere, vel facere, vel *loqui*, quod non Christus per ipsum operetur, Rom. XV, 18.

Haec si vera sunt, sequitur, Paulli doctrinam *non esse ipsius, sed Christi*. Qua de re idem apostolus adeo erat animo conuictus, vt Galatis scriberet: si vel angelus, de coelo venturus, euangelium praedicet ab illo, quod ipse praedicauerit, diuersum eique contrarium, anathemate feriendum esse, Gal. I, 8. Non enim esse aliud euangelium; ne apostolorum principes quidem, Petrum, Iacobum, Ioannem, doctrinae de Christo, qualem, reuelatione diu. praeunte, hucusque ore et scriptis gentibus notam fecisset, aliquid addere potuisse; eos potius, collata sua cum ipsius doctrina, intellexisse et libere professos esse, eundem deum et Iesum Christum, qui sibi ope sua adstittisset, Iudaeos potissimum erudientibus, praesto etiam fuisse Paulo et Barnabae, gentibus euangelium praedicantibus, Gal. II, 6—9. Hanc apostolorum de doctrina sua cogitandi rationem, quo minus vanam esse censeamus animi persuasionem, prohibent nos grauissimae rationes. Nitebatur enim haec sententia in ipsis Iesu Christi verbis, in apostolorum coetu aliquando prolatis: *qui vos audit, me audit*, Luc. X, 16. Nitebatur in testimonio luculentissimo, quo deus, sigillo quasi illis impresso, publice declarauit, apostolorum doctrinam voluntati et consilio ipsius esse consentaneam. Hoc sigillum erat miraculorum edendorum vis, per apostolos se exferens, quotiescunque homines aderant, qui doctrinae euangelicae, ab illis prolatae, fidem haberent. Cum enim operum illorum insignium auctor non legatus quidam Iesu Christi, sed ipse Christus esset, cuius *nomine* expressis verbis siue pronuntiato, siue inuocato, efficiebantur, Marc. XVI, 17—20. Act. IV, 10—12. in aprico erat positum, apostolorum doctrinam, miraculis confirmatam, Iesu Christo acceptam esse et probatam. Paullum ideo deprehendimus toties ad miracula, a se edita, prouocare, quoties aduersariorum, diuinam ipsius legationem et auctoritatem apostolicam sollicitantium, respondet cauillationibus, 2. Cor. XI. et XII. 1. Cor. II, 4—13.
„Sed

„Sed enim, addiderunt forte apostoli verae Christi doctrinae partes quasdam, suo apte ingenio excogitatas.“ Haec additamenta, respondeo, vel vera sunt, vel minus. Si prius, voluntati diu. esse consentanea, per se patet, nec contraria Christi euangelio, quia veritati nunquam veritas est opposita. Sin autem falsa sunt et erronea; iusta ratiocinandi lege inde colligi posset, deum sibi ipsi esse contrarium, quod foret absolum. Hoc vel ipsi aduersarii confitebuntur. Controuersia enim nobis iam non est cum iis, qui Iesum siue fanaticis hominibus, siue impostoribus adnumerant, sed qui ipsius et nomen et doctrinam nobiscum venerantur. Qui vero apostolis *negant* parem esse fidem, ac ipsi Iesu Christo, habendam, prouocant hac in controuersia ad apostolorum consuetudinem, immiscendi epistolis suis traditiones et fabulas iudaicas, quod Iudas fecit et Petrus Paullusque nonnullis in locis. — Sed non ii sumus, qui hoc negemus. Quis autem hodiernum eruditorum est, qui has epistolarum partes, ad *illustranda* tantum epistolarum argumenta adiectas, religionis christ. capitibus accensuerit? Nos de doctrinis fidei principalibus, religionis christ. fundamentum constituentibus, loquimur. In his tradendis apostolos nunquam et nullibi errasse, contendimus.

Theologi, a quibus hoc in argumento dissentimus, concedunt omnes, Dei consilium in constituenda noua per Christum religione fuisse hoc, vt erroribus gentium pariter atque Iudaeorum e doctrina de Deo rebusque diu. remotis, firmum et immobilis veritatis fundamentum opponeretur, quo tum a Iesu ipso, tum ab ipsius apostolis systema veritatum, nouam religionem constituentium, superstrueretur. Hic autem finis princeps, ad quem consequendum filius dei his in terris apparuit, quo modo impetrari poterat, nisi Deus prouideret, ne doctrinae religionis constituendae capitales, cuius generis sunt illae, quas supra recensuimus, ab erroribus conseruarentur immunes? — Hoc satis superque factum esse, perhibent quidem aduersarii, in *sermonibus Iesu*, ab auctoribus s. litteris mandatis. — Quibusnam autem, quaeso, argumentis hoc probant? Numne

euangelistae hunc sibi habebant scopum in scribendo propositum, vt vniuersum aliquod doctrinae Iesu Christi systema conderent *)? Numne omnes ipsius orationes mandarunt litteris, omnia colloquia, cum discipulorum selecto numero habita? Quid, si fragmenta tantum doctrinae, a Christo coeuis suis traditae, exempla tantum colloquiorum collegissent? Quid, si ex eorundem memoria excidissent complura dogmata, ad fidei christ. substantiam referenda? Quibusnam argumentis theologi, a nobis dissentientes, vnquam probabunt, hoc factum non esse? Numne Matthaeum, aut Iohannem, credibile est, omnia Iesu, populum docentis, verba, siue memoria tenuisse, siue statim ad memoriam perpetuam litteris expressisse? — Secundum nostram docendi rationem res in saluo est. Scimus enim, Iesum apostolis promississe, se missurum illis spiritum sanctum, veritatis doctorem, qui illis in memoriam reuocaturus sit omnia, quae docendo dixerit, Ioh. XIV, 26. Hic igitur spiritus, quoniam consilio Iesu affectus a deo patre missus est? Nonne, vt caueret, ne errores in doctrina de Christo, de persona, de officio, de gloria ipsius spargerent? Si autem Petrus, si Iacobus, si Paullus inprimis (quod affirmant aduersarii) in epistolis scribendis veritatibus euangelicis errores admiscuerunt, nonne et euangelistis idem accidere poterat? Vnde igitur scimus, Matthaeum et Ioannem solos immunes ab erroribus seruatos esse? Quisnam denique apostolorum hoc spiritus s. beneficio minus carere poterat, quam Paullus, qui Iesum docentem siue nunquam, siue raro audierat; qui ab hominum nullo euangelii argumentum didicerat, sed ad gentes docendas vocatus a Christo et

*) Huius argumenti vltiorem explicationem eam ob causam praetermitto, quod b. Toellnerus pro ingenii, quo pollebat, acumine eodem iam vsus est; in libro: Theologische Untersuchungen P. I. Sect. I. pag. 251. mentem suam his verbis exprimens: Die Evangelisten scheinen gar nicht eigentlich den Zweck gehabt zu haben, uns mit der Lehre Christi wohl und vollständig bekannt zu machen; sondern nur den Zweck, so viel davon zu liefern, als zum Verstande und Beweise, dass Iesus der Messias war, nothwendig war; als, mit dem Iohannes zu reden, darzu nöthig war, zu glauben, dass Iesus der Christ, der Sohn Gottes sey.

et, baptismo initiatus, protinus in Arabiam se contulit ibidemque, quod ad summam pertinet euangelii, eandem doctrinam diuulgauit, qualem apostoli Hierosolymis omnibusque aliis in locis praedicarunt? — Quid? — Matthaeum et Ioannem in repetendis Iesu Christi sermonibus ab errore immunes seruatos fuisse credamus, Paullum vero errores, in Iudaeorum scholis natos, addidisse euangelicis veritatibus putemus? Adeone Deus a scopo, quem sibi habebat in *Paulli electione* propositum, aberrauit, ut in proferenda veritate labi sineret eum, quem vel maxime in docendo ab erroribus, ad religionis summam pertinentibus, immunem seruare debuerat, illum videlicet, quem constat, plurimas Asiae et Graeciae regiones peragrassè ad euangelium praedicandum et nouos christianorum coetus colligendos, plurima ad confirmandam veritatem opera mirabilia edidisse, atque donis spiritus s. exornatum multis ecclesiarum ciuibus similia spiritus beneficia contulisse? Si Paullus in describenda persona Christi ipsiusque praerogatiuis et iuribus peccauit, deum (praesciscine dixerim) in eiusdem ad apostolatam electione, se ipsum sefellisse dici posset. Nam, cum veritatibus euangelii fundamentalibus etiam errores capitales diuulgari, eosque tradi curasset omnibus gentibus, quas Paullus ipse uisitauit, omnibus terrae populis, qui scriptis Paullinis vsi sunt et adhuc utuntur. — Sed chartae spatium non permittit huius loci ulteriores disquisitionem. Properandum nobis est ad scopum, nobis propositum, et, quod quanta animi voluptate faciam, vix verbis valeo exprimere, annunciandus est Regiae Academiae Friderico Alexandrinae nouus S. S. Theologiae Doctor, qui de litterarum Vniuersitate multos iam annos docendo pariter atque scribendo optime meritus est, quod etiam intelligetur ex illius vitae breui historia ab ipso, pro more recepto, delineata:

Natus sum Onoldi, anno huius seculi sexagesimo secundo, die undecimo mensis Iulii, patre, *Christophoro Ferdinando*, Marchioni Brandenburgico a consiliis aulae, regiminis, atque iustitiae, et fori clientelaris praeside, cuius integritas animi, et merita in patriam et principem, civium laudibus adhuc celebrantur, matre *Sophia Catharina Crameria*. Primis infantiae annis parentum curis educatus, deinde praeceptorum privatorum

institutiōni traditus, denique anno 1772 Gymnasia, quod Onoldi floret, civium ordini secundo adscriptus sum. Per decem et quod excurrit annos celeberrimorum huius scholae praeceptorum institutiōne, literis humanioribus, linguarum et artium studiis, et religionis cognitiōne subtiliore imbutus, et praecipue celeberrimi *Gesneri*, *Glandorfii*, *Fabri*, atque *Rabii*, quorum in me merita tanta sunt, ut ea vix enumerare, nedum laudare iusto modo possim, disciplina formatus, ad altiora theologiae studia me converti, cuius encyclopaediam et historiam litterariam atque methodologiam iam duobus ante cursus academici inchoationem annis, b. *Iunkhemius* in privatis scholis mihi tradidit. Egregiis huius viri, immortaliter de me meriti, consiliis instructus, et, ut ad altiore[m] doctoris theologiae publici in patria academia gradum aliquando aspirarem, saepe admonitus, ad academiam Friderico - Alexandrinam anno 1782 festo Paschatis accessi. Viris meritissimis *Succovio* et *Breyero*, *Harlesio*, *Meuselio*, atque *Pfeiffero*, *Seilero*, *Rosenmüllero*, et *Hufnagelio*, quorum egregia institutiōne nunc uti mihi licuit, et sub quorum auspiciis philosophiae, historiarum, utriusque philologiae, atque theologiae uberiorem notitiam mihi comparare studui, plurimum me debere gratissimo animo profiteor, quamvis eorum doctrinam, studium, et favorem, quo minus digno sermone celebrare, partim beneficiorum in me collatorum magnitudo, partim verecundia illorum me impediāt. Biennio exacto ad academiam Georgiam Augustam me contuli, *Heynio* imprimis atque *Michaeli*, *Koppio* et *Federi*, viris summis, per beati *Glandorfii* et *Iunkhemii*, atque Ven. *Hufnagelii* literas commendatus. Illustris *Heynii* favor insignis innumeris beneficiis me cumulavit, et postquam me statim in seminarii philologici sodalitiū receperat, eiusdem et illustris *Michaelis* consilio factum est, ut in perfectendis studiis philologicis atque theologicis egregie adiuvarem. Institutiōnem etiam doctissimam aliorum quibus Georgia Augusta floret, doctorum celeberrimorum, *Lessii*, *Koppii*, *Plankii* et *Milleri*, *Gattereri*, *Federi*, *Schloezeri*, *Spittleri*, *Blumenbachii* atque *Lichtenbergii*, grata semper memoria recordor. Ineunte anno huius seculi octogesimo sexto, *Heynii* et *Federi* auctoritate permotus, munus sodalis regii repetentium theologicorum collegii, ambii, et exhibito specimine theologico, post institutum examen, et praelectionem publice habitam, a venerabili theologorum ordine curatoribus academiae commendatus, illud obtinui. Aperire nunc coepi, sub auspiciis Venerabilium Theologorum Goettingensium, quorum paternum in me amorem nunquam non piis laudibus celebrabo, *Milleri*, *Lessii*, et *Plankii*, scholas tam publicas, quam privatas, exegeticas et philologicas. Quanto studio hac opportunitate docendo discendi usus fuerim, ex insigni, quo ad munus doctoris theologiae academici iam pridem aspiraveram desiderio, colligere quisque poterit, felicitique successu et bonis auspiciis me hoc stadium ingressum esse, auditorum frequentior numerus augurari fecit, qui me epistolas catholicas, Pauli minores, Evangelium

gelium Ioannis, Psalms, Iobum, et Proverbia, per triennium interpretantem, et linguae latinae, graecae, hebraicae, atque arabicae, praecepta explicantem stiparunt. Anno 1788 mense Iulio, post legitimum examen, publiceque defensionem dissertationem, summos in philosophia honores, conferente illustri *Michaelis* adeptus sum. Muneris ratione postulante, saepius etiam res divinas populo interpretandi occasio non defuit, eaque tunc temporis mihi pergrata, cum antea duce *Seilero*, *Hufnagelio*, et *Lessio*, iam praeceptis rhetorices sacrae imbutus, et exercitationibus privatis ac publicis ad munus oratoris sacri rite peragendum formatus essem. Hinc a fine anni 1788, postquam Ven. *Sextro* academiam Goettingensem reliquerat, cum Viris Venerabilibus *Lessio*, *Schleusnevo*, et *Volborthio*, alternis vicibus munere concionatoris academici perfunctus sum, et ut aliorum etiam de qualibuscunque meis in hac parte officii laboribus mihi innotesceret iudicium, aliquot orationes sacras circa finem huius anni prelo subieci, indulgerent, de quo laetor, a lectoribus et criticis exceptas. Eodem anno contigit mihi, quod pridem optaveram, ut doctissimus *Ziegler*, qui nunc theologiam in Academia Rostochiensis publice profitetur, quo a primo inde adventus in Academiam Goettingensem tempore, animo et studiis mecum coniunctissimo, familiariter semper usus fui, in eiusdem etiam collegii societatem reciperetur, postquam eodem anno summos in philosophia honores simul mecum adeptus erat. Mox vero ex dilectissima Musarum sede Goettingensi me discedere iussit ineunte anno 1789, principis mei clementia, qua, post obitum Ven. *Pfeifferi*, auctoritate Curatoris Academiae Erlangensis illustrissimi *Seckendorfi*, cui ordo theologicus me commendaverat, ad provinciam professoris theologiae extra ordinem in Academia Friderico-Alexandrina administrandam, honorifice in patriam revocatus sum, in quo munere obeundo summum, tum reliquorum collegarum pie colendorum favorem, tum praecipue *Hufnagelii*, viri summe reverendi, mihi que semper amicissimi, amorem et singulare erga me officium, gratissima mente expertus sum. Neque me frustra eo allaborasse, ut principis clementia, collegarum favore, auditorum plausu, me dignum praestarem, nova gratiae augustissimi regis nostri specimina mihi testatum reddiderunt. Anno nimirum 1793, quum *Hufnagelius* Francofurtum ad Moenum ad ornandam antistitis sacrorum spartam vocatus esset, praeter spem atque expectationem, ab augustissimo Borussiae rege, *Friderico Vilelmo*, patriae patre indulgentissimo, suffragante illustrissimo *Hardenbergio*, regis amico, cui terrarum nostrarum cura commissa est, et felicissimis auspiciis agitur, locus in theologorum nostrorum ordine tertius, antistitis sacrorum academiae provincia, et regii seminarii homiletici cura, clementissime mihi demandata est, novaque regis augustissimi beneficia, anno superiore, post discessum Ven. *Ammonii*, collegae coniunctissimi, ex hac academia, in me collata sunt. Uxorem duxi anno 1793 mense Aprilis *Augustam*, *Sophiam*, *Germanam*, *Eyringii*, Professoris Philosophiae P. O. et Gymnasii Directoris


ris in academia Goettingensi, filiam natu secundam, quae coniugii nostri felicitatem auxit ex eunte anno superiore filio, *Germani, Friderici, Caroli*, partu.


Scripta publice edita.


- 1) *Observationes criticae ad loca quaedam V. T. specimen primum, continens observationes ad loca Psalmorum. Adiecta est ad calcem descriptio codicis 291 collationis Kennicottianae. Goettingae 1788. 8.*
- 2) *Sechs Predigten zur Beförderung christlicher Religionskenntniß und Tugend. Memmingen 1788. 8.*
- 3) *Tagebuch einer kleinen Harzreise, im 5. Bande der Reisenden für Völker- und Länderkunde, 1790. 8.*
- 4) *Entschliessungen und frohe Hoffnungen eines christlichen Lehrers bei dem Antritt seines Amtes, erste Amtspredigt in der akademischen Kirche zu Erlangen gehalten am 5. August 1792. Erlangen 1792. 8.*
- 5) *Fest- und Casualpredigten. Erlangen 1792. 8.*
- 6) *Neues theologisches Journal, herausgegeben von Haenlein und Ammon, Band I—IV 1793. 1794. Nürnberg 8. Neues theologisches Journal, herausgegeben von Ammon, Haenlein, und Paulus, Band V. VI. 1795. Nürnberg 8.*
- 7) *Handbuch der Einleitung in die Schriften des N. T. Erster Theil. Erlangen 1794. 8. Zweiten Theils erste Hälfte 1794. 8.*
- 8) *Dankpredigt, wegen des zwischen Sr. königlichen Majestät von Preussen und der französischen Republik am 5. April zu Basel geschlossenen Friedens, gehalten in der akademischen Kirche am ersten Pfingsttage. Erlangen 1795. 8.*
- 9) *Symbolae ad interpretationem vaticiniorum Habacuci. Erlangae 1795. 8.*
- 10) *Relationes criticae de libris novis ephemeridibus literariis variis infertae.*

Eiusmodi igitur Virum, ingenio praestantem, omni litterarum genere exornatum, scientiarum theologiarum copia largiter instructum, de Regia Vniuersitate huc vsque multis modis optime meritum, carum omnibus, Collegam nobis coniunctissimum, summis, quos a nobis petit, in Theologia honoribus condecorandum esse, dum publice indicamus, Magnificum Academiae Regiae Friderico-Alexandrinae Protectorem, illustrissimum Comitem, illustrem Procancellarium, Professores doctoresque, ciues denique generosissimos nobilissimosque, vt et litterarum Vniuersitatis nostrae Fautores omnes hac scheda, ea, qua par est, obseruantia inuitamus, vt actus huius solennitatem, die Lunae IX. h. m. hora IX. instituendam, praesentia sua ornare et illustriorem reddere velint. Scrib. in Academia Regia Friderico-Alexandrina VII. Nouembr. clocccxcv.

- 24, *Doquintus*, quatenus disciplina religionis
et theologiae christianae pendeat ab historia
Iesu Christi. Auctore Ammon. Göttingae
- 25, *Variarum de origine fessu pentecostae experientis*
Göttingae.
- 26, *Botanicae de futura corporum exanimatorum*
inspiratione, autel' inspiratione. Auctore
Staudlin. Göttingae.
- 27, *Comment. de legis Moysiacae momento et*
ingenio, collectione et effectuibus. Auctore
Staudlin. Part. I. Göttingae 1796.
- 28, *Scriptis II.*
- 29, *De religione naturali publica*. Auctore Staudlin.
Göttingae. —
- 30, *Declarantur diversitatis linguarum ex*
traditione Semitica Origines. Auctore Cichlorn
Göttingae 1788.
- 31, *Deu gus Verbrüderung der Jesuiten in Prussia,*
verfasset von Dr. Ammon. Göttingen 1795.
- 32, *Ueber die Aufklärung des inneren Menschlichen*
innere Mystiken mit dem moral. Mod. in
Samtliche Schriftstücke von Dr. Ammon.
Göttingen, 1796. —
- 33, *Von der Aufklärung und der Beschaffenheit derselben*
inmitten der weltl. Aufklärung. von Dr. Ammon,
Göttingen, 1797. —







II

Salom. 9, 1.), alma mundi conditrix, hominumque
 Prov. 8, 31. Sap. Sir. 24, 6 f. Ioh. 1, 5.), post multos
 osque irritos mortalium erudiendorum conatus (Sap.
), in terra Israelitica fixit pedem (κατεσκηνωσε v. 8.
), humanamque sibi Iesu Christi formam induit. 'O
 ἐγενετο: diuina sapientia inter Iudaeos surrexit,
 o vnita. Praeter moralem istam diuinae sapientiae
 nem vix opus erat, vt alia historiae I. C. primordia
 aret, quamuis accurate satis et sine vllis traditionum
 de illis exponere potuisset.¹⁶⁾ Eandem viam in-
 dius Paulus, qui diuina Messiae praedicata colli-
 tenus a Ioanne differt, vt in sapientiae, quam sum-
 en in Messiam transfudit, descriptione non Iesaiam,
 biorum auctorem sequatur, quare factum est, vt
 rimum a Deo creatum (πρωτοτοκον πασης κτισεως
) esse adfirmet, quum de sapientia idem contendat
 v. 8, 22. קנני (ἐκτισε Deut. 32, 6.), רכזי רכזי
 וסמא). Ioannes autem, spiritum sapientiae inter
 Dei attributa referens,¹⁸⁾ τον λογον vere Θεον, hunc-
 ενσαρκωθεντα esse adferit.¹⁹⁾ Plura decerpere ex
 historia

HERDER *vom Erlöser der Menschen*, p. 60 sqq.

OPPE ad Rom. IX, 5.

ICHHORN l. c.

dam hanc in rem iam bene disputata videas in cel. HEZELII
Schriftforscher, tom. II. p. 549 sqq. De discrimine Christo-
 oannis et Pauli, quod hic innuere tantum licet, alio loco co-
 sponposituri sumus.

35.
3.
3.
31.
29.

